MAGNIFICO ET NOBILI VIRO, D. SIMONI AB ECK, I. V. D. CLARISSIMO, ET ILLVSTRISSIMI, POTENTISſimiq; Principis Alberti, Comitis Palatini Rheni, ac vtriuſq; Bauariæ Ducis etc. Cancellario meritiſsimo, Domino ac Patrono ſuo plurimum colendo.

68

QVandoquidem & mens, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita ſit in legibus, Magnifice D. Cancellarie, meritò Anteceſſoribus diſertiſsimis prouincia decreta eſt, Iuris recondita cupidis legum ſtudioſis eruere, ut poſtmodum ab illis ad Reſpublicas in partibus ſibi credendis gubernandas auocari poßint: Tamen, quùm hac tempeſtate, in infinitum aucto Interpretum numero, uſq; eò aucta ſit Iuris difficultas, ut quandoq; circa unius reſponſi aut conſtitutionis enucleationem tantæ Doctorum controuerſiæ, tantaq; commentatorum ſcripta redundent, ut Iuris ſtudioſis ex his labyrinthis ſeſe eripere et explicare difficile ſit, arbitratus ſum ueritatem melius emergere non poſſe, quàm frequenti concertatione, & argumentorum rationumq; crebra inter Iuris alumnos collatione. Hac igitur ratione prouocatus (ſuccedente etiam conſilio & adhortatione excellentiſsimi I. C. Raphaëlis Ninguardæ) ſuſcepi diſputandam intricatam L. unic. C. de ſentent. quæ pro eo quod Inter. profer. annexis nonnullis concluſionibus ab huius l. materia alienis: onus meis profectò humeris longè impar, quùm ad prædictæ conſtitutionis explicationem tot ſint propè Doctorũ ſententiæ quot capita: tum etiã quia uix dum primoribus labris Iura guſtauerim. Verumtamen, ſi gratũ hoc inſtitutum fore contingat, genuinumq; eius materiæ intellectum indè hauriri, laborem meum ſatis abundè compenſatum iudicabo: Tuæ autem manſuetudinis humanitatiſq; præſidio (quo tota uniuerſitas, tanquam Atlante cœlum, nititur atq; ſuſtinetur) committo. Vale. 4. Idus Ianuarij, Anno 1567.

Tibi ſemper addictiſsimus, *Arnoldus Hocht Leodius.*

DIVINO IMPLORATO AVXILIO. ANNVENTIBVS MAGNIFICO D. RECtore Georgio Euerhardo, nec non clariſsimis ac excellentiſsimis Decano cæteriſq; facultatis Iuridicæ profeſſoribus conſultiſs: Præſide Raphaële Ninguarda I. V. D. ac Inſtitutionum Profeſſore, ſubſequentes concluſiones defendere conabitur A.H.L. Belga.

DISPVT. L. VNIC. C. DE SENTENT. QVAE PRO EO QVOD INTER. PROFER.

CONCLVSIO I.

INtereſſe nihil aliud eſſe aſſerimus, quam extra rem damnum emergens aut lucrum ceſſans, ex eo ſcilicet, quod aliquid dari fieriuè, uel rectè dari fieriuè ceſſatur:

II.

Illudq; non triplex eſſe (ut DD. uolunt) ſed unicum tantum, quod ſimpliciter, Intereſſe, appellamus.

III.

Quod enim à Bart. & regulariter ab omnibus, Commune, uocatur, id etiam particulariter conſideratur, eatenuſq; in tot[illegible] ha[illegible] [illegible]atur:

IIII.

Proindè in [illegible]

Deniq; quod Conuentum Intere[illegible] eſt Intereſſe, ſed in eius locum ſubrogata pœna.

VI.

Æquiſsima tamen eſt atq; reſponſis Prudentum conſona Iuſtiniani Imp. conſtitutio, Ne ſcilicet in caſibus certis duplum excedatur, ſiue ſimul & ſemel, ſiue pluries & particulariter ad Intereſſe agatur:

VII.

In incertis uero caſibus, quæ naturam aut quantitatem certam non habent, id, quod reuera Intereſſe probabitur, adiudicetur.

VIII.

Dupli à Iuſtiniano hic taxati ſimplum arbitramur, pretium ipſum ſeu rem adpretiatam, prout in contractum uenit.

IX.

In quaſi contractibus quoq; hanc dupli taxationem locum ſibi uendicare non dubitatur:

X.

Imo & pœnas partium conuentione loco Intereſſe ſubnexas hac l. moderari.

Concluſiones impertinentes contra communem DD. ſententiam.

CONCLVSIO I.

OMnes omninò ſeruitutes, tam continuas quam diſcontinuas, bona fide quaſi poſſeſſas longo tempore acquiri ſuſtinemus.

II.

Doctorum diuiſionem de ſeruitutibus nominatis & innominatis tanquam commentitiam reijciendam opinamur.

III.

Similiter Interpretum diſtinctionem circa Iudicium reſcindens & reſciſſorium, ut ſcilicet Iudicium reſcindens ſit officium Iudicis, idq; intra annum utilem (hodie quadriennium continuum) implorari poſsit: quo implorato, intra tantundem temporis, quo primum experiundi facultas erit, reſciſſoria intentari debeat, Tanquam erroneam non recipiendam arbitramur.

IIII.

Pactum nudum, etiam geminatum, actionem non parere affirmamus.

V.

Si pacto apponatur ſtipulatio, ex ſtipulatu tantum naſcitur actio, Et per conſequens, Pactum cohærentia contractus ſtricti iuris non ueſtiri aſſerimus.

VI.

Inuecta à ſecundo conductore, ædium Domino tacitè obligari negamus.

VII.

Mulierem in repetitione dotis, non ſolum creditoribus tacitam, ſed etiam expreſſam hypothecam habentibus præferri, uerius de iure arbitramur.

VIII.

Inter Velle & Nolle, medium eſſe, Non uelle, inficiamur.

IX.

Iura Codicis indiſtinctè derogare Iuri Inſtitutionum concludimus.

X.

Actum contra bonos mores, tàm ciuiles quàm naturales, Iuramento non firmari cenſemus ac defendimus.

Diſputabuntur hæ Theſes proxima die Iouis, quæ erit 16. Ianuar. hora octaua, in ſcholis Canoniſtarum.

Ex Typographia Vueiſſenhorniana.

68 unta

[illegible]

Exemplu in locatione

[illegible] sumptum esse mercedem conuentam [illegible] quam enim in conductionibus operarum Simplum [illegible] res de qua opera locata erat

Porcet tres casus esse [illegible]

[illegible] Si vultis exemplum in contractibus [illegible] res contractus esse certos ut patet [illegible] (et omnibus contractibus) [illegible]

[illegible] in contractibus casus incerti ex emptum tale [illegible]

[illegible]